

titulo nonnunquam insignitur. Nec male Thomas, habitum istum partim à natura inesse, partim acquiri statuit ab Extrinsecis: eò v3. quod ad generationem ejus, præter virtutem insitam, & operationem exercitam, species concurrant, tanquam objecti externi apparatus, è potentia virtutem insitam provocans ad actum. Adeoq; pueris etiam inest, quoad lumen inquam insitum, & aliquam velut inchoationem; sicut intellectus ipse inest, & potentia intelligendi: quæ se exerat, ubi accessu externi requisiti, rationis contigit usus. Sic ergo *naturalem* esse concedo: ut ne tamen per naturam inesse dicatur, ante omnem actum suum exercitum. Quod tanto potest dici confidentius, quod habitus iste, non sit ipsa potentia intelligendi, sed ei aliquid superadditum; quodcumq; demum illud censeatur: adeoq; pro conditione habituum communi, asseratur, ac statuatur, non simpliciter *ad operandum*, sed ad *bene operandum*. Ergo nec actus ingenitus esse debuit, sed proprijs Intellectionis actibus acquiri, ut de habitibus alibi disputatum est. Qui ergo distinguere novit, quæ *naturalia* esse, & *naturaliter inesse* dicuntur. idq; vel per modum principij, & ex parte agentis: aut per modum speciei intelligibilis, ex parte v3. objecti; is in tota hac quæstione versari potest ad Aristotelis doctrinam commodissime. Nec quicquam probant argumenta quæ in contrarium à nonnullis afferuntur, de notitijs innatis. Ecquid enim *Naturaliter inesse* concludis? non nego; si *naturale* opponas illi quod non discursu, non aliqua intelligentiæ lucta, aut aberrante conatu, cum directione quadã habituali peragitur. Actu vero innatas esse, nihil causæ quominus iisdem argumentis neges, quibus illi id probant; nimirum de naturali judicio, igniculis, instinctu, &c. Hæc omnia se habent ex parte ipsius potentiæ, tendentis ad objectum & operationem sibi congruam. Et id evincunt, Intellectum v3 esse in potentia: Recipiens enim est denudatum à natura recepti; ut dicebat Averr. Quod si ad reliquias imaginis divinæ te recipias in hac quæstione, caute agendum est: cum sic illa sit amissa, ut vix aliquas sui qualis fuerit, cognitionis reliquias fecerit reliquias. Et quis dixit tibi, nullam Imaginis illius partem in ipsa fuisse Intelligendi potentia? in lumine ac dictamine rationis? in aptitudi-